9

DISPUTATIO MEDICA

DE

DYSPEPSIA.

AUCTORE PATRICIO ROBERTSON.

PROŒMIUM.

Morbi omnes, quibus genus humanum plectitur, ad duo capita referri posse videntur. Alii nimirum acuti, ipsi vitæ perniciem instantem minitantur, passu celerrimo, vel extincturi, vel arti salutiferæ cessuri; et alii vetusti diutissime infelicem angunt, singulas corporis actiones turbant aut infirmant, diroque cruciatu vitam vix patibilem reddunt, vix sanandi, vix homi-

nem



nem absumpturi. Ex his nescio ullum, quem medici pluris inquirere et intelligere refert, quam eum pertinacissimum morbum, cui nomini " Dyspepsia" inditur. Indies enim pede insidiante increscit hæc pestis, formam sibi multiplicem præfert, et, quod præsertim notatu dignum est, viscus male habet, quæsitissimo sensu præditum; quodque catenæ ope mirabilis, subtilis, et aciem humanam latentis, cum cerebro, corde, toto imo corpore, nexu arctissimo, committitur. Hunc morbum, de quo disputem, selegi, non sane eum luce nova spe collustrandi adductus: sed ut legi imperanti obsecutus, quæque de re tam gravi et utili memoratu digniora proponam.

Multa alia valetudinis adversæ genera, ut jam retuli, cruciatu intentiore corpus implicant, et vitæ flammam maturius extinguunt. Illud vero dyspepsiæ proprium est, quod ubi jam inveteravit, et radices quasi altius infixerit, singulas animi et corporis actiones labefactat, divinæ

particulam

particulam auræ obscurat, et ut miserum vitæ ipsius tædeat, efficit. Urbani et literis dediti præ cæteris ei patescere consuerunt: lugendum equidem artibus ingenuis excultos et generis humani decora potissimum omnium in eam incidere. Res est notissima morbum propositum nuperis annis admodum increbruisse: nec ratio, ut opinor, obscura. Luxu et cultu Britanni, olim vegeti et robusti, nunc demum fracti, pallere et marcere cœperunt; totque nova malorum genera, majoribus, hominum rudi sane, at valido generi, ignota, sibi intulerunt, ut paucissimi ad senectutis principia perveniant. Hæc præfatus ad argumentum propositum transibo.

DEFINITIO.

Quum nemo, ni fallor, clarius, quam Cullenus hunc morbum definivit, ejus verba citare placet:

placet: "Anorexia, nausea, vomitus, inflatio, ructus, ruminatio, cardialgia, gastrodynia, pauciora saltem vel plura horum simul concurrentia, plerumque cum alvo adstricta, et sine alio vel ventriculi ipsius, vel aliarum partium, morbo." Optime eas voces "sine alio morbo" adjicit; siquidem complura vitia ipsius ventriculi, jecinoris, aliorumque viscerum vires concoctrices insigniter resolvunt et turbant.

SIGNA.

Hæc valetudo neutri sexui, nulli parti ætatis, nulli corporis indoli aut rationi parcere consuevit. Nullius anni tempestatis propria, hyeme tamen potissimum homines exercet. Ubique terrarum adoriri potest, dummodo noxæ excitatrices adhibeantur. Sæpius juventa florentes et sanguineos, quam seniores et atra bile infectos,

infectos, et mares præ fœminis aggreditur. Immunes autem vix esse possunt, aut qui ventri dediti, luxu et ignavia animos et corpora resolvunt, aut qui, istis nihili habitis, literarum studio et nocturna vigilia se conterunt, qualicunque corporis et mentis indole natura eos donaverit.

Hic morbus alios aliter exercet, et etiam in eodem homine alias alius est. Aliquando signis pluribus, et haud levioribus subito orditur; plerumque tamen ingreditur passu lentissimo. Eam instare denunciant sensus quidam gravitatis vel anxietas circa præcordia, et angor molestissimus post cibum voratum: æger cibi minus appetens est, et animi languent. Paulo exinde acor, inflatio, doloresque ventriculi vel ventris exercent: nausea sæpe adest, aut evomuntur cibi ingesti, subinde sæpe humore acerrimo misti. Crudum ægrotus persæpe ructat, et ardore quodam ad ostium ventriculi superius relato torquetur. Aliquando, bovis adinstar, alimen-

ta corrupta in fauces reddit, iterum devoranda. Labuntur vires; ægrum moveri piget.

Alvus torpere consuevit: etiamsi quibusdam citior quam fert natura, sordem viridem aut biliosam reddit. Urina fere excernitur multa, sæpe diluta et pura; alias subrubra, ex qua fuscum subsidit. Lingua natura candida aut flava sordet; et sapor, saliva corrupta, ingratus est. Quibusdam jejunis, aliis cibo repletis, dolor aliaque indicia magis sæviunt. Non raro vexat angoris quasi in faucibus sensus*: quæ sorde acerrima ructata insigniter aliquando exasperantur. Materia hæc subinde adeo acris est, ut feratur linteum etiam rodere†. Arteriæ saliunt imparibus intervallis, languide et crebro. Longe sæpius summa cutis expallescit et aret; nonnunquam sudore madet. Os saliva superfluit; quo fit ut ægrotus raro sitiat. Cibos omnigenos

* Home's Principia Medicinæ.

† Cupell's Disp. Inaug. de Hypoch. 1777.

omnigenos fere respuit et fastidit, sumptosque evomit. Noctu parum dormit, aut diris somniis perturbatus, quiete brevi et vix refectura perfruitur. Membra multum resolvuntur.

Mens indies magis magisque contristatur. Vultus demissus pallet : oculi nitoris expertes hebetantur. Caput vehementer sæpe dolet, certeve gravitas quædam huc refertur. Vertigo sæpe adoritur, et æger, haud secus atque ebrius vacillat : sonant simul aures. Ventriculus subinde in tantum auris malis evolutis intenditur, ut cordis et pulmonis motibus haud leviter obstetur. Hinc cor palpitat ; et æger graviter spirat. Artus sudore gelido et viscido hument : modo insuper inhorrescunt et perfrigent, alias exardent, præsertim circa alvum.

Inveteratis malis, genus nervosum gravius laborat. Oculi aut caligare cœperunt, aut mentem duplici uniuscujusque rei objectæ imagine ludunt. Quibusdam profecto muscæ eos circumvolare

circumvolare videntur, aut non nisi pars alicujus rei dimidia patet. Cor demum motu perquam inæquali salit; et infelix inter ambulandum tam ægre anhelat, ut sibi mox periturus videretur. Nonnunquam pupilla, præter modum patescens, parum luce coarctatur. Quæ tamen notæ perpetuæ non sunt. Nonnullis enim male concoquentibus vix ulla valetudinis incommodæ signa exteriora contingunt. Cœli et tempestatis ratio quam minime mutata ægrum valde affligit. Illud serenum, tepidum et siccum, recreat: at Jupiter euro et imbribus malus, mirum in modum turbat. Dolores membra permeant, nulli parti infixi. Marcent et flaccent fibræ motrices, et viscera; quod insigniter uvulæ, faucibus et palato contingit.

Fere omnes hoc morbo impliciti, quod jam notavi, animo plus minus laborant. Tristes et demissi de se desperare consueverunt, futuri pavidi, et fatum sibi propinquum augurantur. Nonnullis equidem mens potissimum angitur.

His

His corpus celerius emacrescit; nec raro ingenium acerrimum obtunditur; omnesque senectutis propriæ ærumnæ vix ætatem florentem aut mediam transgressis accidunt; qui tandem hypochondriasi atrocissima contriti pereunt.

Nequaquam omnes notæ jam traditæ omnibus hac dira valetudine tortis incumbunt; quæ sane multiplicem sibi induit formam. Plura tamen ex iis plerosque affligunt. Scire quoque juvat, morbum propositum haud raro quadam hæreditate a parentibus ad serissimos nepotes transire. Hoc docent *arthritici*, calculosi, *asthmatici*, nunquam non facultate concoquendi imbecilla affecti. Denique, huic malo sæpe accedunt vitia jecinoris vel partium aliarum, aqua intercus &c.: quibus tamen *dyspepsia* sæpius inniti, quam genetrix esse videtur.

RATIO SIGNORUM.

Longe fusiorem orationem postularet, nec proposito conveniret, omnium hujus morbi notarum rationem patefacere. De gravioribus igitur solis, et iis præsertim quas definitio Culleniana complectitur, disserendum.

Cibi fastidium.—Siquidem liquor proprius ventriculi, cujus ope cibi concoquuntur, leviter nervos et fibras hujus visceris jejuni irritando, facit ut aliquis integer esuriat, id est, cibum appetat, quod inter hodiernos convenit, constat eundem aut æquo parciorem, aut vitiatum, hominem minus cupidum, imo fastidiosum cibi redditurum. *Dyspepsia* equidem ventriculi vasis et fibris infirmatis continetur. Illinc, ejus succo imminuto et corrupto, cibus in *chymum*

vix

vix redigitur : hinc, æquo diutius commoratur, ægrius intestinum petiturus. Coacescat itaque et fermentescat, necesse est. Fastidium igitur partim huic causæ, partim alteri jam memoratæ debetur.

Nausea et Vomitus.—Quæ nauseam, eadem vomitum moliuntur. Hic fere illam excipit. Res est notissima, maris insuetum motu navis exagitatum prius nausea torqueri : quæ quoniam fibris ventriculi gulæ, intestinique duodeni motu abnormi convulsis debetur, os, felle ejecto, amarum est. Dein ingravescente nausea, septum transversum, quod insigni nexu cum ventriculo committitur, vehementer commotum efficit, ut hoc fortiter oppresso, cibi evomantur. Duplice de causa, qui male concoquunt hisce corripiuntur : nimirum, acria ventriculi fibris gravi sunt irritamento ; et hæ ipsæ imbecillæ, ideoque mobiliores ex facili velluntur.

Cardialgia.—Cibi, quod supra proposui, ægrius

grius et tardius concocti, pauloque diutius ventriculo inhærentes, corrumpuntur et fermentescunt: unde acor oriundus, nervos hujus visceris, præsertim *cardiæ*, creberrimos et valde sentientes eo irritat, ut quidam ardoris sensus, et molestissimus, accendatur.

Inflatio.—Satis superque innotuit, omnia terra nata, inter fermentescendum, spiritum concipere: quod idem alimentis intus crudis contingere videtur. Qualis sit ille aër, minus patet: *gas acidum carbonicum* conjicimus. Quidam equidem arterias aëris secernendi facultate donarunt: quos inter præpollet Hunterus. Quomodocunque hoc se habeat, aëra ventriculum intendere, manifestum est.

Gastrodynia.—Hæc est dolor ardens, plus minusve acutus, circa ventriculi regionem torquens; ideoque *spasmo* fibrarum motricium tribuendus. *Spasmus* vero has contorquet, partim quia acria et cruda incitamento sunt, par-

tim

tim quod ipsæ fibræ infirmantur. Imbecillitas profecto *spasmi* apud medicos genetrix esse fertur: quam tamen potius fibras *spasmo* subeundo, admota noxa incitatrice, aptare proponimus.

Ruminatio.—Idem motus gulæ et ventriculi, qui vomere facit, paulo remissior, hanc quoque facessit: qui scilicet alimenti partes crudas et leviores ad fauces et os attollit, iterum vorandas. Sunt equidem, qui, quotiescunque velint, cibos ruminare possunt.

Alvus pigra.—Tam arcto vinculo intestinum ventriculo consociatur, ut alterum alterius malorum vix non particeps fiat. Infirmatis igitur hujus arteriis et fibris, pari ratione illius quoque resolvuntur: quo fit, ut humore intestino deficiente, ejusque motu tardiore, alvus parum excernat. Huc accedit, quod fel simili e causa æquo parcius secernitur; ideoque alimenta, sæpe male concocta, ægerrime et tardissime in partem

tem alituram, et alteram excernendam convertuntur.

Capitis mala.—Innumeræ res docent cerebrum et ventriculum æterno quasi circulo sibi invicem imperare et moderari ; unumque alteri continenter bona sua aut mala largiri. Cui mœror subitus animum plectit, protinus hic cibos fastidit : languet mens nausea implicito. Cuicunque, capite percusso, cerebrum concutitur, is statim evomere solet. Cui demum inflammatur ventriculus, huic vires motrices momento temporis, quasi fulmine percuteretur, labant ; sublata inflammatione, erigendæ. Propter nexum relatum, caput dolet, et vertigo aliaque nervorum mala ægre concoquentibus incumbunt. Ratio vero hujus nexus ingenium hominis hucusque latet. Illud solum dicere licet, partem *vagam* quodammodo ea viscera inter se committere.

Vires fractæ.—Dilabuntur vires, et languescunt omnia membra, e duabus causis : infirma-

tur

tur nimirum cerebrum, imo totum genus nervosum, ob imperium, quo ventriculus partes alias premit: et corpus, cibo minus concocto, parum alitur, et inde labefactatur et emacrescit.

CAUSÆ EXCITANTES.

Siquidem morbus, quem prosequor, imbecilli ventriculo continetur, constat noxas ejus excitantes esse duplices; scilicet, quæ ipsum ventriculum lædunt: et quæ prius totum hominem labefaciunt, ac hunc consensu demum quoque debilitant.

Ad prius genus pertinent potus omnes meraciores, *thea*, *choava*, *opium*, *nicotiana tabacum*, plantæ amaræ, *aromata*, condita omnia, salsamenta, satietas, vomitus crebrior, et alia ejusmodi. De quorum singulis nunc disputabo.

Potus

Potus meraciores.—Nihil hujus morbi ciendi potentius esse videtur, quam liquores meraci immodice epoti. Quivis equidem e liquoribus meracis jam epotus ventriculo, cerebro et toti corpori perinsigni incitamento est. Lex autem et consilium est naturæ, ut quanto aliquem magis potestas incitatrix stimulaverit, tanto plus idem postea labatur et torpeat. Ebrietatem igitur excipiunt fastidium cibi, vomitus, concoctio pigra, debilitas, animusque demissus. Si vero crebro perniciosi isti latices bibuntur, nervi ventriculi hebetes fiunt, sensu pene destituuntur; quinetiam, vis secernendi deletur, atque fibræ ipsæ addensantur, hebetantur et durantur, ut vix irritabiles nulli stimulo pareant. Demum vero, eo contrahitur ostium inferius, ut vix pateat alimento in intestinum aditus. Nec solum concoctio pigra, sed interdum dirissimum illud malum, *pylori scirrhus*, hoc tetra fonte enascitur.

Thea et *Choava.*—Aquam tepidam *theæ* foliis

aut

aut *choavæ* baccis ustis et contritis infusam, Britanni fere omnes quotidie vorare nunc consuerunt. Quam valde suspicor largius epotam ventriculi vires insigniter sedare; et magna ex parte effecisse, ut mala concoctio continenter hodie magis magisque increbrescat. Quomodo hæ plantæ noceant, inter medicos parum convenit. Quidam opinantur non ipsas, sed aquam, qua imbuuntur, fervidam epotam lædere: alii contrarium sentiunt. Medii esse quam alterutram partem amplecti malumus. Non enim fieri potest, quin ventriculus multa aqua fervente distentus labefiat: nec inficias est eundum, aquam foliis *theae* valde tinctam generi nervoso esse perniciosissimam. De qua re Cullenus hæc edidit verba: "I have a stomach very sensible; which I have found to be hurt by the use of tea; which I attributed to the warm water; but having used indigenous plants, with the same heat of water, I found no harm ensue; and this I have repeated about fif-

ty times *." *Thea* viridis equidem quibusdam non solum concoquendi difficultatem movet, sed quoque tremores, nervorum distentiones et alia ejusmodi mala.

Nicotiana tabacum.—Hujus cum aliis narcoticis commune est, genus nervosum fortiter stimulare; ideoque tandem e lege supra dicta resolvere. Hinc ii, qui *nicotianæ* folia contrita quotidie in nares cum anima accipere, aliasve hac planta uti solent, eadem carere sine gravi molestia nequeunt, incitamento nempe solito orbati. Multiplici ratione, hæc planta facultatem concoquendi perdit, prout adhibeatur. Si pulvis ejus naribus large hauriatur, edit effectos supra memoratos, acerrimos; etiamque interdum pulvis usque ad ventriculum descendit. Sunt etiam, quibus appetitus omnino deletur, si paulo ante prandium nicotiana ad sternuendum accipiatur. Denique, Cul-

LENO

* Cullen's Materia Medica.

LENO teste, omnia mala morbo proposito contenta, usu hujus pulveris immodico nascuntur. Illi quos nicotianæ exustæ fumos per fistulas inhalare, vel frondem volutam manducare et sugere juvat, humorem glandulis oris secretum, et ad concoctionem bonam necessarium, vitiant et spoliant.

Opium.—Quæ de *nicotiana* conscripsi, eadem ad laticem papaveris spissatum attinent; cum hoc equidem, quod *opium* perniciei longe dirioris moliendæ capax est. Luculenter scripsit SYDENHAMUS, almum rerum Parentem papaver optimo vel unico fere solamini in dolores, solatioque in corpus aut animum turbatum, dedisse. Sed hoc intempestive et immodice ingestum lethali fit veneno; vires concoctrices conterit, facitque ut vultus expallescat, membra extenuentur, animus ipse labet, et infelicem vitæ tædet.

Condita, Aromata et *Salsamenta.*—Quanquam

plantæ

plantæ amaræ, scientiore ministrante, robur ventriculo conciliant, eædem præter modum ingurgitatæ penitus ejus fibras motrices vi propria destituunt. Omnes herbæ, quæ *Aromaticæ* nuncupantur, oleis volatilibus, unaquæque sui propria, imbuuntur: quibus unice facultas stimulandi, qua pollent, innititur. In tardam igitur concoctionem sæpe juvant; eo quod ventriculo infirmo praesenti sunt auxilio. Demum autem, de lege supra memorata, hujus vigorem nimium incitando, prorsus extinguunt, et *dyspepsiam* nulli medicabilem arti progignunt.

Satietas.—Duplici potissimum dote præditi sunt omnes musculi; nempe, vi resiliendi, quoties tenduntur, et se contrahendi, incitamento adhibito, facultate. Illa eorum cum bruta tellure communis est; hæc vero nequaquam. Potestas utraque tensione vehementiore deletur: cujus rei documenta fere innumera extant. Exemplum sit vesica urinæ dicta diuturna distensione

ita

ita resoluta, ut homo mingere nequeat. Pari ratione gulæ ventrique dediti, qui cibo opimo, vario arteque exquisita cocto, potuque multo et forti se implent, concoctionem tardam et malam cibi inferunt; nec solum quia ultra naturam intentus et oppletus ventriculus renitendi impotens fit; sed etiam quod alimenta æquo incitantiora nervos ejus et fibras vigore spoliant.

Vomitus.—Medici olim creberrime ventriculum medicamentis vacuefacere solebant: idque, uti ad valetudinem adversam tollendam, ita secundam tuendam. De nullis equidem remediis fusius quam de *vomitus* moventibus antiqui, cum Latini, tum quoque Græci, scripserunt. Romani, imperitantibus NERONE, CALIGULA, VITELLIO, &c. eo luxus et pravorum morum pervenerant, ut fere indies se vomere cogerent, quo melius exinaniti epulis accumberent. CULLENUS * monuit morbi propositi curationem

* First Lines.

rationem e vomitu incipere oportere. Neque inficias ibo, quin semel ventriculum, jam ineuntibus malis, exonerare aliquando prosit. At vero hodierni nec injuria vomitui minus quam vetustiores insistunt. Denique, ut paucis absolvam, nulla noxa potius quam frequenter evomendo homines mala concoctione plectuntur. Conteritur enim et quasi defatigatur ventriculus, motu tam violenti: qui insuper sano ei, cujus ope concoquimus, contrarius est. Porro, quoniam musculorum omnium est, tanto facilius moveri, quanto sæpius jam egerint, ventriculus crebro istiusmodi medicamentis sollicitatus, demum cibos sua sponte rejicere incipiet.

Proximum est ut eas causas inquiramus, quæ, toto corpore labefactando, ventriculum lædunt. Ex his præpollent desidia, positus corporis, qualis actiones ejus interiores impediat; mens literarum studiosior, animi motus concitantes

tantes aut sedantes, aër humidus et frigidus, alvus pigrior, concubitus nimius, &c.

Desidia.—Potestate equidem hinc illuc movendi nobismet, omnia ad bene beateque vivendum comparamus, atque etiam mundo potimur. Aliis utilitatibus exercitatio quoque inservit: omnes pene motus corporis interiores, singulorum fere viscerum munera, ciet; tardata celerat, integra concitat. Facit, ut venis artuum oppressis, quæ valvulis donantur, sanguis ad cor dexterius citiori cursu reducatur: corde arteriisque stimulandis, efficit ut secernenda secernantur, eoque ut ventriculus succo proprio, concoquendi præcipuo instrumento, scateat: et ne multa, musculi qui spiritui accommodantur, motu intentiore sub exercitatione agitati, fistulas bilis exinaniunt, eoque viribus concoctricibus insigniter opitulantur. Uti corpus, ita mens motu animatur; rivo nempe grandiore sanguinis coccinei ad cerebrum delato. Res equidem notatu est dignissima, summa decora

generis

generis humani, viros scilicet, qui scriptis amplissimis et præclaris penetralia nobis naturæ patefecerint, haud raro armis quoque aliisque negotiis motum corporis desiderantibus, præcelluisse. Exemplo sit XENOPHON, aut apud nostrates immortalis RALEIUS. Optime igitur concoquunt, qui labori et negotiis se dedere consueverint.

Positus corporis ineptus.—Non omnis corporis positus cibo concoquendo æque convenit: ille quidem, quo corpus pronum, vel aliquanto inclinatius antrorsum tenetur, morbum propositum haud raro progignit. Plurimi equidem artifices inter exequenda negotia, membra sua, alii alias, multiplici modo contorquere coguntur. Inter scribendum et legendum, flexo trunco, hiatus ventriculi inferior et intestinum in tantum premuntur, ut cibi exitus impediatur, et concoctio tarda et mala procreetur. Pulmo insuper, eodem situ et ventriculo auris pleno gravatus, spiritu minus amplificari potest.

Huc

Huc quoque accedit, quod parum se exercere solent sueti scribendi, ideoque sæpissime male concoquunt.

Studium literarum intentius.—Multo gravius mentis quam corporis labor hominem delassat. Moliuntur enim omnes musculi cuivis hoc insudanti; quiescere autem consuerunt, illum subeunti. Hinc rustici, qui indies arant, occant, fodiunt, currunt, quantumcunque fatigentur, artubus validis grandioribus, corpore quadrato, vultu roseo, et integerrima valetudine gaudent. Qui vero literarum studiosi, et cogitatione alta quasi obruti, noctu vigilant, nec raro interdiu, naturæ legibus obnixi, se somnis reficiunt, vultum expallescunt, membra extenuantur, omnibusque vitæ actionibus languidis et perturbatis affliguntur. Ob istum vero nexum arctissimum, quo mens cum ventriculo consociatur, notissimum, cujus ratio tamen latitat, hic præsertim literarum cupidis plectitur. Gregorius inter prælegendum meminisse solet sibi per-

sæpe contigisse juvenes hujus Academiæ alumnos *dyspepsia* dirissima tortos tessari, non cibi edaciores, non vinolentos, non libidini deditos; sed ingenuos, bonos, qui pestem istam, studio optimarum artium acriore, nocturna vigilia, et membris parum inde exercitatis, sibi intulerint. Idem vir eximius adjicit, nemini impune amplius sex vel octo horas quotidie studiis illis incumbendum esse.

Motus animi.—Ex iis, quæ supra disseruimus, satis in aprico est, cur mens perturbata concoctioni obstat, nec opus est longo de hac re sermone. Quantum animus subito motu convulsus ventriculum lædit, omnes noverunt. Si quis sanus et vegetus, jam pransum iturus, nuncio tristi et inopinato animum demittitur, illico ei concidunt ventriculi vires, cibique nunc parum aut nihil appetuntur. Vates ille immortalis SHAKESPEARIUS hujus rei haud immemor, Regem HENRICUM Octavum ita effatum esse depingit:

—" Read

——————— " Read over this,
" And after this to breakfast with
" What appetite you may."

Aër frigidus et humidus.—Fœcundissimum est morborum cœlum humore saturum et frigidum: quos equidem cutis oribus patulis claudendis, eoque suppresso halitu, quem spirare debent ejus vasa, procreare videtur. Jam demum innotuit membranas interiores, quas *mucosas* vocamus, e cute intus producta confici. Cui causæ præcipuæ tribuendum est, quod frigus canalem alimento accipiendo et concoquendo accommodatum tot malis implicat.

Alvus tarda, Concubitus, &c.—Neque opus est de his fusius disputare, ratio enim cujusque patet. Si cui nimirum diutius alvus tardatur, illi ventriculus consensu supra relato languet, et concoctio impeditur. Qui libidini sese dedere solent, hos sæpe torquet morbus propositus. Venus nimia enim membra resolvit, animum obtundit, sedat cor, et vasa secer-

nendo

nendo apta infirmat, quo homo cibos appetere et concoquere pene desinat.

CAUSA CONTINENS.

Parum inter medicos olim de hac re convenit. Culleno et Gregorio assensus, inducor qui credam morbum, de quo agitur, fibris et arteriis ventriculi imbecillis contineri. Quam equidem sententiam non eos fefellisse, hinc constat, quod causæ excitantes infirmando nocent; et quod ægris optime succurritur, hisce evitatis et sublatis, viribusque firmatis. Causa porro continens jam memorata omnes notas *dyspepsiæ* gignendi capax esse videtur. Debilitatis enim arteriis ventriculi, deerit idonea ejus succi copia, et ille ipse corruptus fiet: fibris vero languentibus, cibi justo diutius ventriculo hærebunt; et concoctio tardetur, necesse est.

DIAGNOSIS.

Pleraque sunt vitia ventriculi et aliarum partium, quæ singulis morbi propositi notis stipantur. Non igitur sequitur ut quisque iis implicitus *dyspepsia* sola laboret. Periti medici est inquirere et reperire, ea signa infirmato ventriculo soli, an cuivis alii vitio debeantur. Mala vero, quæ praesertim id, de quo disputamus, simulant, sunt *scirrhus pylori*, *hypochondriasis*, *hepatitis* vetusta, et *podagra atonica*.

Scirrhus pylori.—*Scirrhus pylori* senio confectos, *dyspepsia* juventa florentes male habet. Huic dolores non continentes, modo sæviunt, modo quiescunt: illi assidui acuti, cum ardoris sensu, et cartilagini *ensiformi* subnixi. Eidem porro alvus pigerrima et solutu difficillima, plu-

res

res sæpe dies nihil reddit ; et cibi hora secunda tertiave ex iis ingestis evomuntur. Paulo postea tumor eminet, subjectus cartilagini ante dictæ, partem dexteriorem versus, et manus prementis vix patiens. Inveterascente hoc malo, *pylorus* in tantum intumescit, ut suo nutu deorsum pene ad umbilicum feratur, imo vero ad ipsum pubem durissimus simul. Demum exulcerato eodem, dolor et ardor ingravescunt. Pallet et collabitur facies ; quæque ingesta ærumnas intendunt. Materia subfusca, fæcibus choavæ simillima, aliquando sanguine mista evomitur, et alvus eandem fere dejicit. Vultus demum squalet, fœdatur, et aspectum plumbeum vel lethalem exhibet ; omnesque artus tabescunt. Quæ terrentia signa non *dyspepticos* plectunt.

Hypochondriasis.—*Hypochondriasin* a *dyspepsia* haud semper facile est, neque, ni fallor, multi interest dignoscere ; hæc enim, ut nobis videtur, signorum gradu, et corporis indole, quod

torquetur,

torquetur, inter se potissimum distant; et rationem eandem medendi, vel certe consimilem, flagitant. Sed quoniam plerisque placet eas invicem propriis notis discernere, inducor qui hasce recenseam. Mens *hypochondriasi* torto potissimum angitur. Varia, proterva, irritabilis, iræ dedita, injuria suspicax, de se desperat, futurique pavida est. Ventriculus aliquanto minus quam *dyspepsiae* turbatur. Cuicunque autem hæc incumbit, mens non multum contristatur, nisi ventriculus acerbissime affligitur. Hæc juvenes, illa seniores adoritur. Hæc potius sanguineos, crinibus rufis aut candidis, vultuque roseo et pulchro natura ornatos: illa contra bile atra tinctos, nigra nempe cæsarie, et animo impigro donatos. Hæc diuturnitate devincitur, illa exasperatur. Denique, illi contingunt dolores circa præcordia e dextra parte, nec raro supervenit atrocissima *melancholia*.

Hepatitis vetusta.—Summi est momenti jecur an ventriculus ægrotet, intelligere; quod

enim

enim illi remedio, id huic veneno est. Jecur vitiosum mala omnia ventriculi imbecilli propria sibi præfert. Siquis autem his vexatus atra bile inficitur, si vino et dapibus se dediderit, si domum ab India reversus fuerit, et cutis flavet aut lurida squalet, jecur vitiari suspicamur. Quod si dolor jecinori infixus, et quædam gravitas his accedunt, si ille, manu premente, vel ægro in partem sanam cubante, plus sævit, si humerus dexter dolet aut gravatur, eoque magis si pars affecta intumescit et duratur; dubitare non licet, et jecur inflammari in aprico est.

Podagra atonica.—Quos cruciat *arthritis*, hos omnes *dyspepsiæ* notæ affligunt: quæ iisdem auxiliis, quibus, non urgente *podagra*, cedunt. Cognoscuntur tamen hac inniti, si pedes sæpius ante eam passi sint; si æger jure hæreditario a parentibus has ærumnas acceperit, et si vires mirum in modum collabuntur, et ventriculi dolores *æthero sulphurico* aliisque stimulis diutius consopiuntur.

PROGNOSIS.

Quod ad exitum hujus morbi futurum attinet, plerumque, nec spe attolli, nec graviter timere licet: pertinax enim *dyspepsia* ægerrime tollitur, nec simul ipsi vitæ perniciem minitatur. Si levius incumbit, necdum diutius permanserit, si robur parum deficit, nec mens concidere cœperit, homo est in bona spe. Si vero diuturnitate mala firmantur, si vires animi et corporis deficiunt, si noctu infelix parum dormit, et insudat, si cor inæqualiter salit, viscera ipsa sunt corrupta, cutis flavet, et aqua intercus exercet, fatum in propinquo, certeve non evitandum auguramur. Scire licet quoque, neminem ad salutem esse rediturum, quantulumcunque prematur, nisi noxas omnes excitantes, quantum fieri possit, fugiat.

RATIO MEDENDI.

Quo rite curetur morbus, quem prosequor, tria exequenda sunt consilia: nimirum,

I. Noxæ excitantes fugandæ sunt.
II. Notæ graviores levandæ.
III. Ventriculo robur conciliandum.

I. Fuso sermone de consilio priori non opus est. Ipsum se satis exponit, "Causis solum sublatis, creberrime morbus finitur." Hoc autem neglecto, cætera frustra exequimur. Medici est itaque ægrum de luxu, secordia et pravis suis moribus admonere, atque rationem vivendi meliorem docere.

"Difficile est: verum hoc, qua lubet, efficias.
"Una salus hæc est, hoc est tibi pervincendum."

Catúll.

11. Quo notæ graviores subducantur, maximi interest ventriculum et intestinum exonerare; quo facilius sua officia, nihilo impediente, exerceant. Vomitum aliquando igitur et dejectionem, jam ineuntibus malis, moliri juvabit. Minime vero æger persæpe evomere debebit, ut supra memini: præsertim alvus purganda et ducenda, idque crebrius; siquidem celeriter sordes renascuntur. Vomitum optime movebit radix *cephaëlis ipecacuanhae*, aut *tartras antimonii*, aut utraque. Quidam *sulphas zinci* præcipere malunt, eo quod magis ventriculum stimulat, et nauseam parum movet. Interdum satis est aquam ferventem, quæ foliis *anthemidis nobilis* affusa fuerit, ingerere.

Alvus modis variis, mitibus autem optime, cietur. Cui alvus pigrior descendere solet, quotidie illum hora stata dejectum ire oportet; alvus enim mirum in modum consuetudini inservit. Victus foret, qualis alvum per se fundere possit, e levissima nempe materia, præcipue e fructibus,

bus, multoque potu mixtus. Si vero medicamentis opus est, nihil satius erit quam *carbonas magnesiae*, *folia cassiae sennae*, et *radicem rhei palmati* præcipere. Aloë plerisque bene convenit. Cui rite accedit quivis e salibus mediis, aut oleum e seminibus *ricini communis,* ni hoc fastidium moveat. *Rheum palmatum* præstantissimum est; dum enim dejectionem ciet, robur ventriculo incutit, et facit ut homo cibos appetat. Huic *magnesia* rite jungitur: prohibet, ne postea alvus tardetur. Aloë non minus juvat, et diutius et validius agit. Sin autem hæc parum resolvunt, alia, fortiora nempe, adjicienda. Pilul. *aloët.* cum *colocynth.* dandæ, donec alvus descendat, aut *convolv. jalap.* vel *scammon.* vel interdum *gutta gambogia submuriate* hydrargyri mixta.

Acor,—Alkalinis naturis, et præparatis e *magnesia* et *calce* debellandus; nihil *carbonati magnesiae* vel huic ipsi terræ præstat. Siquidem acorem delet, et alvum leniter fundit: *calx* autem

potius

potius eam tardat. Utilis est ad eandem rem aqua *super-carbonatis potassae* vel *sodae*, aut *aqua ammoniae*, quæ ventriculum stimulat. Sed aptissimum est eorum *carbonas sodae* Phar. Lond. Quod si alvus, hac vel magnesia sumpta, præter modum descendat, *carbonate calcis* aut *aqua calcis* protinus utendum est; vel illud medicamentum, quod vocatur *potio carbonatis calcis*, proderit. Conveniunt quoque liquores diluti, tepidi et glutinosi; qui, quamvis acorem parum deleant, nihilominus, partem, quam irritat, mulceant. Interdum *acidum sulphuricum dilutum* aut *aromaticum* istum ardorem acore exortum sustulit; quia nimirum, ventriculum stimulat, firmat, et quo minus cibi fermentescant et coacescant, efficit. Parum equidem intelligo, quomodo *citri medicae* et *aurantia* aliique fructus aciduli hoc signum leniverint aut sustulerint; nisi ex supra dicta ratione, nempe, ventriculum stimulando.

Nausea et *vomitus* sæpe sedantur, medicamento

to e *sub-carbonate potassae* et *succo citri medicae* confecto, jam effervescente. Pauxillum *opii, aetheris sulphurici*, aut cujusvis olei volatilis, eadem quoque potissimum consopit. Aliquando eodem spectat *camphora* sumpta; vel *opio* commista, et regioni ventriculi admota; aut emplastrum *lyttae*. *Opium* per alvum infusum sæpissime juvabit, ventriculo irritabili nihil retinente. Quod si nausea acrior et diuturna sit, et sordi ventriculo inhærenti debere videtur, vomitum medicamento leni elicere proderit.

Gastrodynia. — *Spasmi* solventibus cedit; qualia sunt *aether sulphuricus*, idem cum *alcohole aromaticus, spiritus aetheris nitrosi, ammonia* et *oxydum bismuthi: opium* præsertim, vel ejus vice *hyoscyamus niger*. *Gummi-resina ferulae assafœtidae* his adjuncta subinde opem tulit. Trotterus, si *opium* dandum, hoc *ammonia, aethere sulphurico* et *camphora* misceri jubet. Mihimet contigit idem medicamen opitulatum esse testari. Sin vero ventriculus id respuat, idem,

vel

vel id vino albo mistum per alvum injici præcipitur; de qua curatione TROTTERUS ita scribit: "I "have never been disappointed with a clyster "of this sort." Hi dolores ventriculi persæpe mulcentur, præcordiis fotis et tepefactis.

Quod ad *oxydum bismuthi*, operæ pretium duxi exemplo ejus usum illustrare. Eximius vir HOMIUS inter ægros in valetudinario regio curandos, *dyspepticum* quendam *gastrodynia* quæsitissima diu tortum, nihil valentibus *spt. aetheris nitrosi*, *hyoscyamo nigro* et *opio*, expedivit. Dein grana tria *oxydi bismuthi* bis in dies dedit, per septem dies, at sine fructu. Octavo igitur die grana quinque ter in dies sumi jussit; quo tempore æger convalescere cœpit. Hoc facto usque ad diem decimum quartum, tunc grana sex quater in dies ægro ingessit; qui die vigesimo abiit, malis fere omnibus liberatus.

Inflatio.

---

* Nervous Temperament.

Inflatio.—Optime oleo quovis volatili, aut *aethere* vel *ammonia* devincitur, evitato simul olere et legumine omnigeno.

Animi turbae.—Animæ turbæ, sanato ventriculo, conquiescunt; quædam vero præcepta servanda desiderant. Mens, quantum fieri potest, a suis ærumnis contemplandis abstrahi debet. Ægrum oportet oblectamentis, amicisque hilaribus se delectare, et artis vel negotii jucundi, quale non præter modum fatiget, satagere. Fictis fabulis animum recreare proderit; et præsertim iis, quæ ægrotantem alienas ærumnas suis pejores esse docent.

III. Ad ventriculum infirmum reficiendum, ea propinanda sunt auxilia, quæ apud medicos roborantia dicuntur. Præstantissima inter hæc sunt *acida, sulphuricum, nitricum* et *muriaticum,* præparata ex ferro, et plantæ aliquæ amaræ. Cæteris *acidum* antecellit *sulphuricum,* cuivis *aromaticae* plantæ adjunctum. *Carbonas ferri* utilissimum est; præcipue si ei accedit ulla

planta

planta amara. Optimum longe amarorum habemus *cinchonam officinalem* ; quæ quoties datur, ei rite adjicitur pauxillum *carbonatis magnesiae*, aut *rhei palmati*, ne alvum adstringat. Cui fel incitatius fluit, præcepta fuit *radix columbae* : concreta cum vino rubro danda est. Utilissima quoque sit, *radix gentianae luteae*, *flores anthemidis nobilis*, *quassia excelsa*, *aristolochia serpentaria*, &c. Hæ concretæ et tritæ optime sumuntur, nisi ventriculus irritabilior sit. Nosse tamen juvat, omnia amara largius et diutius concessa, instrumenta concoquendi debilitare. *Alcohol* iis tinctum nequaquam ministrari debet ; et non ultra dies quatuordecim aut viginti adhibenda sunt. Perito ea præcipiente, sine dubio ventriculum roborant : et vetant, quo minus alimenta intus coacescant et corrumpantur *. Meo sane judicio, præparata ex ferro plantis amaris anteferenda sunt. Sæpe sum testatus *carbonas ferri rheo palmato* mistum summam tulisse

F opem.

* Trotter on the Nerv. Temperament.

opem. *Tinctura muriatis ferri* non aliena erit, et interdum dolores ventriculi lenivit: at *sulphas* sæpe gravi incommodo non vacat; sed interdum rite conceditur *extracto cinchonae* junctum. At hæc e fontibus medicinalibus optime sumuntur; imo æger, si fieri potest, Buxtoniam, Cheltenham, Scarburgum, Spa, et alia loca aquis salubribus celebrata, se recipere debet; ubi, socii jucundi, exercitatio et cœli rerumque mutatio simul et mentem et corpus recreabunt.

Quidam medicamenta astringendi potentia, ad ventriculi vires erigendas, dare consuerunt: scilicet, corticem *roboris querci*, folia *arbuti uvae ursi*, radicem *polygoni bistortae*, *sulphas zinci*, &c. quæ aliquando proficere videntur, præsertim si, morbo jam inveterascente, alvus profluere cœperit.

Nec

Nec medicamenta unica ventriculum confirmabunt; eodem pertinebit e natura vivere. De qua rei propositæ parte paucis disputabo.

Exercitatio.—Quotidie sub dio ambulare, aut, si vires id parum sustinerent, curru vehi vel equitare, vires animi et corporis admodum refocilabit, maxime Jove algido et sicco; qui satis halitum evocat, et cibi cupiditatem insigniter acuit * : equitare quam ambulare satius habitum est †. Quisque autem ægrotus, prout malit, equo aut propriis pedibus utatur, modo non se graviter fatiget, aut insudet. Si captus florum amore, eos suis manibus carpere velit, pedes ægros perambulet. Si venari, aucupari, et silvestribus ludis interesse ei sit cordi, equum conscendat.

Frigidarium.—In aquas gelidas, et, quod præstat, in mare quotidie descendere utilissimum

* Plutarch's Life of Brutus.

† Huxham's Opusculum de Morbo Colico.

mum est ; cor enim et arterias salutariter concitat, omnia secernenda et excernenda elicit, et ventriculum erigit et firmat. Si quis in aquas oceani se conjecturus est ; cito id facere debet, ne aër circumfluus nimium prius refrigeret. Nec vero balneo aut mari utendum, cui jam summa cutis sudore defluit. Periculosum est quoque diutius in aquis commorari. De hoc auxilii genere Gregorius tam luculenter scripsit, ut ejus verba citare haud abs re existimaverim. " Id frigus non nimium esse, neque nimis diu continuatum, quod brevissimus tantum artuum tremor, et brevi robur, et postea calor, et humor ; aut mollities saltem cutis, et vigor musculorum, et bonus cibi appetitus, bonaque concoctio, et animi hilaritas excipiunt."

Victus.—Lugendum est medicos quosdam, nec parvi nominis, inter ægros curandos penitus medicamentis, neglecta victus ratione apta, insistere. Quæ uti omnibus ægrotantibus necessaria est, ita maxime *dyspepticis.* Manifestum est enim medicinæ præsidia et auxilia nihil hos adjutura,

adjutura, si ventriculus continenter cibo malo exasperetur et resolvatur. Leges equidem de hac re perpetuas proferre nequeo; aliis enim obsunt, aliis proficiunt quædam escæ genera. Plerisque tamen conveniet cibus opimus at simplex, concoctu non difficilis, et carne quam terra natis magis abundans. Carnes facilius in *chylum* vertuntur; quodammodo ventriculum incitant, et vix coacescunt. Hac igitur a quibusdam alimentis cæteris anteponuntur. Nonnulli sane aliud sentiunt, et tarda concoctione tentatos lacte et frugibus vesci jubent. Nolumus alterutram prorsus partem complecti: natura enim hominem facultate utriusque escæ generis concoquendæ instruxit; quod plane docet corpus humanum belluino collatum. Quum vero hæc aut illa alimenta cuivis conveniunt, prout assuefactus fuerit, non difficile erit explicare, cur medici tantum de hac re inter se discrepuerint. MONRO inter prælegendum bene admonet, si quis unius cibi generis diu suetus fuerit, huic succum ventriculi ei soli

cibo

cibo concoquendo habilem fieri. At vero prædicare licet carnes conditas aut sale fumove duratas ægerrime concoqui, ideoque vitandas. CULLENUS * rite notavit juscula carnibus, hordeo et olere imbuta, qualibus Scoti præsertim vescuntur, in ventriculo coacescere, ideoque inimica esse. Idem cibos concretos esse mavult. SANDERIUS † CULLENO assentitur. GREGORIUS ‡ eos liquidos, modo ventriculus non mole nimia gravetur, nihil obesse existimat. HOMIUS § hortatur cibum e durioribus optime incipere.

Lac, serum ejus et coagulum expressum, vel caseus, plerisque acorem inferunt, alvumque hebetant. Hæc igitur abjicienda. Usu tamen docemur hoc perpetuum non esse. Caseus vetustate corruptus, et forsan *carbonate ammoniae* scatens, si parce edatur, incitamento salutari est, et concoctionem pigram celerat. Panis aut far non fermentatus summo studio evitandus.

* Cullen's Mat. Med.

† Sanders on the Liver.

‡ Prælect.

§ Prælect.

dus. Dapes omnes pleniores cujuscunque generis alienæ sunt. Quam pulchre cecinit poëta, divino quasi spiritu animatus :

——————— "At simul assis
"Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
"Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
"Lenta feret pituita."

HOR.

Potus.—Fons sincerus potui aptissimus est, nisi ratio vitæ anteactæ laticem quemvis fortiorem requirat. Multum bibere inter prandendum nocebit, succo ventriculi nempe diluto, et ita cibi resolvendi minus potente. Cerevisiæ omnigenæ, quoniam *acido carbonico* et naturis, quæ ex facili coacescunt, superfluunt, fere nunquam concedi debent. Si qua vero potetur, debet esse meracior illa, quam Angli "PORTER" nominant; quæ mirum in modum roborat, et minime omnium cerevisiarum acorem procreat. Quod si æger parum se exercere possit, hic liquor nimium ventriculum prægravabit; et ejus vice fungi oportebit vinum

vetustius,

vetustius, aliquanto meracius, et quam minime acidulum. Si quid *alcoholis* potetur, dilutissimum foret.

Dyspepticis non protinus, accepto jam cibo, ambulandum. Omnes homines, imo vero omnia animalia, jam cibo saturi, pigri sunt et ad motum tardi. Natura igitur quietem aliquam clare suggerit; quo humoribus intus ad ventriculum confluentibus, cibi melius concoquantur. Qui male concoquit, semihoram saltem quiescere vel dormire debet, simul atque pranserit. Periculis institutis, apparet canes aliasque belluas multo citius concoquere, si cibo sumpto conquiescunt, et dormitant, quam si currere et laboribus se fatigare coguntur. Idem verum esse de genere humano, non dubitando locus est.

Denique, opus est, ut hoc morbo vexati noctu dormiant, interdiu vigilent, et vix amplius horas octo vel novem se somno committant.

Ut

Ut enim vigilia nimia animum et corpus conterit, ita somni diuturni non recreant, sed mentem hebetant, et actiones singulas corporis segniores reddunt.

Quo minus lædat cœlum humidum et frigidum Britanniæ proprium, vestis intima lanea esse debet. Si æstate ea præter modum calefaciat et sudorem eliciat, gossipina mutanda erit. Lanea tamen ejus suetis sub omni tempestatum genere satis convenit.

FINIS.